



11
1.
2 *
3.
4.
5.
6.



9397

1776, 30.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
MATRIMONIUM CVM SVRDA
ET MVTA SIT LICITVM

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.

SOCIO
IN AVDITORIO IVRIDICO
DIE XI. MAIL. ANNO MDCCCLXXVI.
DEFENDET
GOTTLOB REINHOLD VOGEL
CRANZ AHL.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



DEUTSCHLAND
1775

MATTHEWILHELM CVM STROD

ET ALIA ET ALIA

INSTITUTIONEN

D. CHRISTIANUS LEHN BRUNNEN

IN WERDEN

GOTTLIEB BRUNNEN VON

IN WERDEN





A N
MATRIMONIUM CVM SURDA
ET MVTA SIT LICITVM

§. I.

Quamvis Pontificii matrimonia inter sacramenta referant, quam ei qualitatem negant Protestantes, tamen utraeque ecclesiae in eo conveniunt, quod in iis contrahendis consentiendi facultatem maxime requirant. Quare qui consentire nequeunt, plane ad contrahendum matrimonium nullo iure admitti possunt. Hinc PAVLVS in L. 16. §. 2. π. de Rit. Nupt. Ait: *Furor contrahi matrimonium non sinit; quia consensu opus est: sed recte contractum, non impedit. Scil. si furor superueniat, quam sententiam*

• 2

quo-



quoque defendit *c. 24. X. de sponsal.* Quapropter, vbi quaestio mota: an liceat surdam vel mutam in matrimonium ducere, cum vix quidquam ipsae leges atque iura ciuilia statuunt, putem ex antea data regula, posse controuersiam decidi.

§. II.

Equidem concedo, non deesse argumenta, quibus improbantur matrimonia cum persona surda et muta natura. I) Videtur lubricus consensus mutae surdaeque personae, quippe ex signis eorum, quibus videntur consensum exprimere, nihil liquido iudicari possit, an matrimonii notitiam habeant. Et cum consensus, vt diximus primario requiratur, in muta et surda vero semper incertus; putant nonnulli, vix matrimonium cum muta surdaque permittendum. II) Cum in matrimonio existant obligationes a coniungibus inuicem adimplendae; harum vero obligationum cognitionem vix cogitari possit in surda mutaue natura tali, ideo multis tale improbandum matrimonium, quale cum surda mutaue contrahitur. III) In coniuge semper mutuum adiutorium expectatur, tanquam consociationis finis saltem secundarius. Cum vero a muta et surda nunquam recte illud mutuum adiutorium haberi possit et ex hac ratione improbandum censent matrimonium cum surda et muta. Tandem IV) noxia nonnulli censent, quasi ex tali coniugio surdorum mutorumque progenies oneri reipublicae futura expectanda imo et ideo forsan noxia videri possent matrimonia cum mutis et surdis, quod non personae haberetur ratio, sed, quae habet muta et surda, bonorum. Non me fugit, ex his rationibus adeo improbatum et prohibitum in facto matrimonium cum surda et muta,



muta, quamquam illa prohibitio, vt dein probabimus, expresse iuri contraria.

§. III.

Sed horum argumentorum autoritas nunquam in eam me deducet opinionem, vt adfirmem, ex his prohibendum esse matrimonium cum surda et muta. Nam quamuis verbis consensum haud exprimere possit muta surdaque conubialem; tamen non adferam propterea, plane nullum sibi formare potuisse ex experientia et naturae impetu de coniugio notionem. Viuunt muti surdique in socialitate cum aliis, vident quae geruntur, quae quotidie fiunt, nec denegari illis potest rationis vsus. Quidni ergo ope rationis sibi notiones tam de ipsa coniunctione, quam de obligationibus coniugum formare abstrahendo possit surda mutaue. Et quis negat signis et variis corporis motibus suas notiones cum aliis communicare posse, imo ita posse, vt quilibet facile, quid velint quidue sentiant, intelligere possit. Neque verum est, mutuum adiutorium a surda mutaue praestari non posse. Quod si enim ex visu verum sibi colligere potest notiones, sane videtur esse principii petitio, quod in vitae consortio non possit esse auxilio coniugi. Et quod de periculo mutae ac surdae progeniei dicunt, facti est. Neque deest experientia contraria, qua docemur, vitia corporis, quae parentibus inhaerent, haud propagata in progeniem. Quid vero demum dubii habeamus ex bonorum ratione, quasi coniux magis appeteret surdae mutaue bona, quam corpus. Sane si ex hac causa improbanda prohibendaque matrimonia, bone DEVS! quot quotidie reprobanda et impedienda essent matrimonia.



§. IV.

Si itaque maxime in coniunctione matrimonii praeter consensum simul respiciendum ad *potentiam sobolis procreandae*; vnicum erit argumentum prohibendi matrimonii, si quae in muta surdaque ineptitudo deprehenditur, per quam impediretur sobolis procreatio. Defectus vero sensus auditus atque facultatis loquelaenunquam matrimonio impedito esse poterit. Sicuti enim natura et mutam surdamque impellit at carnalem copulam illeque naturalis stimulus eandem pariter vrgeat, vt eos, qui audiunt loquique possunt; ita iis non poterit esse illud restringendi libidinis stimuli medium illicitum, quod aliis non est illicitum. Ipsemet vero APOSTOLVS matrimonium suadet iustum explendae libidinis ex stimulo naturae medium; cur ergo surdo et muto aut surdae mutaeue prohibitum sit, quod oecumenicum medium suadetur. Tolle naturam ipsam in muta surdaue, non improbabo prohibitionem matrimoniorum cum surdis mutisque natura contractorum. Quousque vero illa in surdis mutisque deprehenditur, licita erunt iis matrimonia.

§. V.

Forsitan *religionem* possemus in auxilium vocare, vt probemus matrimonium cum surda et muta persona licitum esse non posse. Non negamus, matrimonia hodie nobis esse negotia ecclesiastica ob ceremoniam ecclesiasticam adhibendam auctoritate adeo legum ciuilium. Absit, vt hoc institutum taxemus, quanquam non negandum, varia conclusa ex superstitione luris Cannonici propagata mereri taxationem. Admodum praeterea dubium est,
vtrum



utrum persona muta surdaue rectam religionis diuinæ cognitionem habeat, cum apprehendendi religionem optimis defuitur mediis. Si ergo deficiat cognitio religionis circa matrimonia, videri potest iusta esse prohibitio. Sed nec his moueor, vt assensum prohibitioni tribuam. Cum enim mutus surdusue per baptismum membrum *ecclēsiæ* factum non solum *internæ*, sed et *externæ*, eique defectus cognitionis imputari nequit, matrimonia ad *externæ ecclēsiæ* iura referenda; omnis abest iusta causa, cur surdo mutoue membro *ecclēsiæ* negemus iura, quæ cuius membro competent, ad quæ iura matrimoniorum referenda videntur.

§. VI.

Tandem ne solis argumentis rem conficiamus, nostram sententiam ipsa Canonum iura confirmant, quæ et in nostris foris in subsidium recepta agnoscuntur. INNOCENTIUS III. *Arelatensi* Episcopo A. 1210. ita scripsit in c. 23. X. de sponsalib et matrim. Sane consulti nos, utrum mutus et surdus alicui possint matrimonialiter copulari. Ad quod taliter respondemus, quod cum prohibitum sit edictum de matrimonio contrahendo; ut, quicumque non prohibetur, per consequentiam admittatur, et sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum, de quorum quarumque coniunctionibus agitur. Videtur, quod si talis velit contrahere, sibi non possit vel debeat denegari. Cum quod verbis non potest, signis valeat declarare. Cum itaque expressa iuris dispositio surdos mutosqua a matrimoniis contrahendis haud excludat, cur nostrates, quibus tanta matrimonii vis ob negatum sacramentum non est, quanta Innocentio III, recedant ab ea iuris dispositione



tione atque, quos nec lex nec religio excludit, a coniugio contrahendo arcere. Et si quae respectu bonorum mutae surdaeue dubitatio, magistratus tunc erit, tanquam et harum personarum supremo tutori, ut prospiciat bonis coniugis surdae mutae, si quod periculum metuendum esse probetur, quod tamen nunquam ex sola praesumptione aliqua coniiciendum erit.



P 449

Leipzig, Diss., 1776 A-G



f
TA-70L

aus 34 Stk. bisher verkauft

VD
18





9399

1776, 30.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
MATRIMONIUM CVM SVRDA
ET MVTA SIT LICITVM

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISVVRGENS.
SOCIO
IN AVDITORIO IVRIDICO
DIE XI. MAII. ANNO MDCCCLXXVI.
DEFENDET
GOTTLOB REINHOLD VOGEL
CRANZ AHL.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

